

cilii adoptavit anno 1587 in causa *Sor.* (*Lib. 30 Decret. pag. 301.*) Præstat vero ad rem melius declarandam referre decisionem ejusdem S. Congregationis in causa *Brixien. diei 18. Sept. ann. 1626* (*Lib. 13. Decret. pag. 346*) hisce verbis conceptam: 'Sacra Congregatio censuit, dandam esse declarationem alias editam tenoris sequentis: Sacra etc. censuit, unum vel duos Canonicos Episcopo inservientes juxta privilegium ad favorem Episcoporum in *cap. De cætero. De Clericis non residentibus*, lucrari Præbendam suorum Canonicatum, non tamen distributiones quotidianas; si vero redditus omnes ipsis distributionibus constant, duas tantum ex illarum tribus partibus lucrari.'

Præterea Canonici absentes, qui actu Episcopo assistunt, sive in visitatione Dioceseos, sive missam privatam celebranti in suo palatio, aut alibi, distributionibus privantur. Ita in *Amerina diei 3. Febr. 1629* et in *Colonien. ann. 1671* et *cit. Instit. Bened. XIV. n. 59 et 61.*

3^o Canonici absentes ex indulto Tridentino ad tres menses, nisi in constitutionibus a S. Sede approbatis concessum fuerit privilegium distributiones in præsentī hypothēsi percipiendi. *Bened. cit. Instit. n. 36* ubi refert binas resolutiones S. Congr. Concilii in *Bonon.* et in alia *Pistoriensi a. 1586.*

102. Quædam dicenda sunt pro explicatione *cap. 30 De Elect. et Electi pot.* in 6^o, quod licet eundem auctorem habeat Bonifacium quem habet *c. un. h. t. in 6^o.* tamen contrariam prorsus theoriam insinuare videtur. Etenim cum in eo ageretur de Clericis, qui tempore electionis Prælati Dioceseos Romam pergebant, instructuri summum Pontificem de negotio electionis ejusdem, quamvis agnosceret Pontifex, clericos istos reliquisse suam Ecclesiam pro ejus utilitate; tamen iisdem tribuit jus percipiendi solummodo fructus annuos, et excludit distributiones quotidianas, quas idem Pontifex canonicis absentibus ob causam utilitatis Ecclesiæ concedit in *cap. un. h. t. in 6^o.* Ut hæc duo capita concilientur, plures proponuntur ab auctoribus hypothēses. Omnibus aliis omissis, unam proponimus conciliationem, quæ nobis rationabilior videtur. Præ primis vero animadvertimus *c. 30 de Elect.* constituere non posse regulam in sensu contrario *capitis un. h. t. in 6^o.* Nam caput hoc unicum in usum revocatum est a Tridentino in *cap. 12. Sess. 24. de Refor.* Attingentes vero meritum quæstionis, ne dicamus Bonifacium Bonifacio adversari, arbitramur, verbum *distributiones* in

c. 30. de Elect. sumi debere de distributionibus inter actu præsentēs in choro, quæ proprie manuales appellantur; idest absentes ob Ecclesiæ utilitatem amittere hæc manuales distributiones, quæ ex lege, consuetudine, aut voluntate piorum fundatorum solis personis actu præsentibus reservantur. Quod vero Bonif. in *hoc c. 30* non deneget Canonico absentī ob negotium electionis distributiones ordinarias, patet ex eo quod dicat, Canonicum absentem lucrari non solum fructus beneficii, sed etiam alios fructus, quos lucratus fuisset, aut potuisset lucrari, si in Ecclesia resedisset: qui fructus posteriores certo sunt distributiones, seu pars fructuum conversa in distributiones quotidianas.

103. Verum animadverti debet, S. Congregationem Concilii in resolutione approbata a Paulo V. et relata a Fagnano *com. in c. 32 De Præb. et dignit. n. 159*, explicasse dispositionem *capitis 30 de Electione in 6^o* de casu, in quo consuetudo vigeat in aliqua Ecclesia denegandi distributiones ordinarias absentibus pro evidentī utilitate Ecclesiæ. Sed ubi non probatur hæc consuetudo, censuit S. Congregatio, servandam esse dispositionem *Cap. un. h. t. in 6^o* ita scilicet ut concedendæ sint quotidianæ distributiones canonicis et beneficiariis absentibus pro utilitate Ecclesiæ suæ.

104. Quæritur quomodo sint applicandæ distributiones quas absentes Capitulares amittunt?

Hæc in re dispositio Tridentini *c. 3. sess. 21 De Ref.* contraria esse videtur dispositioni *c. 3. sess. 22 De Ref.* Nam in primo loco distributiones hujusmodi dicuntur inter præsentēs divinis officiis proportionaliter esse dividendæ, in secundo autem loco applicantur fabricæ Ecclesiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco ab Ordinarii arbitrio. Hæc tamen duo loca bene inter se componuntur, ita nempe ut aliis capitularibus præsentibus accrescant quando deductæ sint ex massa communi et indivisa, applicandæ vero sint fabricæ Ecclesiæ vel alteri pio loco quando deductæ sint ex singulis præbendis habentibus distinctam dotem et distinctam administrationem, idest quæ massam communem cum aliis non constituunt.

De pœnis contra Clericos beneficium possidentes, qui non observant legem residentię.

105. Concilium Tridentinum in *cit. c. 3. sess. 21. et 3. sess. 22. de Ref.* in genere statuit præter amissionem distributionum, procedendum esse contra non residentes juxta sacrorum Canonum sta-

tuta. At in c. 12. sess. 24. § *Præterea* concedit Canonicis et quibuscumque portionariis Ecclesiarum Cathedralium et Collegiatarum facultatem absentiae pro annuis tribus mensibus vacationum, nisi constitutiones Ecclesiae particularis longius servitium requirant. Quod si diutius a residentia abfuerint sequentibus poenis eos mulctat Tridentinum Concilium. 'Alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam Præbendæ, ac residentiae fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Crescente vero contumacia, contra eos juxta sacrorum Canonum constitutiones procedatur. Distributiones vero qui statis horis interfuerint, recipiant, reliqui quavis collatione aut remissione exclusi, his careant juxta Bonifacii VIII. decretum quod incipit: *Consuetudinem*, quod Sancta Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus'. Ex quibus omnibus patet dignitates, Canonicos, et Portionarios Ecclesiarum Cathedralium aut Collegiatarum, cessantibus impedimentis et causis legitimis, non residentes I^o amittere ipso jure distributiones quotidianas, II^o primo anno illegitimæ absentiae privandos esse dimidia parte fructuum.

106. Hæc vero privatio fructuum non habet locum ante iudicis sententiam; ait enim Concilium *privetur*; sed infligi potest, licet clericus monitus non fuerit, ut ad residentiam rediret. Concilium enim de præcedente monitione non loquitur. Verum posito facto absentiae longioris ultra tempus utile, Episcopus intimabit Clerico negligenti ut rationes reddat absentiae. In quibus si deficiat, vel si fuerit contumax, poena privationis a Tridentino statuta Episcopus Clericum mulctabit. Ita resolvit S. Congr. in causa *Vercellensi ann. 1573 Conf. Benedict. XIV. Inst. 107.*

III. Sequitur Tridentinum: *si eadem negligentia usus fuerit*, idest si etiam anno insequenti clericus non resideat privandus est omnibus fructibus, quos secundo anno lucratus fuerat. Crescente vero contumacia, idest si clericus absit etiam tertio anno, contra eum proceditur juxta sacrorum Canonum constitutiones, scilicet etiam titulo beneficii expoliatur.

107. Unde hodierno jure non amplius servatur dispositio veterum canonum, qua clerici non residentes poterant statim privari beneficio, si intra congruum tempus præfigendum a iudice non rediissent. c. 28. *De Appellat. et capp. 10. et ult. h. t.* Sed privari

non possunt beneficio, nisi post lapsum trium annorum absentiae, et postquam supra expositæ poenæ subtractionis fructuum applicatæ inutiliter fuerint, quemadmodum respondit S. Congr. C. in causa *Cathacensi 14. Febr. 1671 et 21. Maji 1672, et in Lancianen. 13. Januarii 1703. Conf. Fagnan. Comm. in c. 32. De Præb. n. 26.*

108. At explicanda sunt illa verba Concilii 'Procedatur juxta sacrorum canonum Constitutiones'. Expectato lapsu trium annorum, contra clericum non residentem procedendum est, juxta sacrorum canonum constitutiones ceu ait Tridentinum in cit. c. 12. Sess. 24. *de Ref.* Scilicet procedendum est ad privationem beneficii. Verum servanda est norma sacrorum Canonum, qui hac de re pertractant. Idest si cognoscatur domicilium, seu locus in quo commoratur Clericus absens, personaliter citari debet et revocari ad residentiam præfigendo eidem congruum et peremptorium terminum, *capp. 8. et 17. h. t.* Quod si ignoretur ubi clericus commoretur, vel ad ipsum non possit citatio pervenire; hac in hypothesi, citatione trina per edictum ad valvas Ecclesiae beneficii affigendum, debet revocari ad residentiam, et post tertiam citationem adhuc expectari debet per alios sex menses, quibus elapsis, proceditur contra eundem Clericum ad poenam privationis beneficii. *Cap. Ex tuæ. 11. h. t. Conf. Fagn. Comm. in idem c. 11. h. t. n. 35. et Reiffenst. h. t. n. 132.*

109. Cum vero in eod. c. 11. § *Contra*, poena etiam suspensionis et excommunicationis contra Clericos in absentia contumaces infligenda proponatur; hinc vi canonum potest Episcopus contra Clericum absentem, etiam durante triennio, antequam proferat sententiam privationis, experiri alia remedia juris, seu, comminatis aut etiam inflictis censuris, contumaciam ejus frangere, si in Domino viam hanc censurarum utiliore viderit. *Conf. Instit. Eccl. 107 n. 38. Benedicti XIV., ubi refertur celebre decretum S. Cong. Concilii diei 18. Nov. 1673 in causa Parentina, in quo traditur, posse Episcopum etiam post inchoatam viam procedendi a Tridentino præscriptam suspendere clericum contumaciter absentem juxta dispositionem Capituli Ex tuæ XI. de Clericis non resident.*

110. Hæc quæ exposuimus respiciunt Clericos obtinentes dignitates, canonicatus, vel beneficia inferiora, seu portiones in Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis. Si vero sermo sit de clericis obtinentibus beneficia non parochialia extra Cathedrales vel Col-

legiatas Ecclesias, quæ beneficia (non parochialia) requirant personalem residentiam, contra eos, si residentiae legem non observent, procedendum est juxta formam et regulam præfinitam *in cit. Cap. 17. et C. 11. h. t.* Etenim cum relate ad hosce Clericos nihil immutaverit Concilium Tridentinum, adhuc integra perseverat contra ipsos dispositio antiqui juris. Scilicet absentes personaliter admonendi sunt; quod si ignoretur ubi degant, vel ad eos citatio pervenire nequeat, trina citatio per edictum publicanda est ad valvas Ecclesiae beneficii, et post tertiam citationem adhuc sex menses præterlabi debent; quibus elapsis potest procedi ad privationem beneficii. Vel si placeat, ante hanc privationem potest Episcopus experiri etiam censuras. In materia residentiae Parochorum et Episcoporum cf. Giraldi Exposit. Jur. Pont. *appendix ad h. t. de Clericis non residentibus.*

111. In materia de pœnis contra clericos non residentes, veluti appendicis loco opportunum ducimus referre sequentem S. Congregationis Episcoporum et Regularium decisionem diei 4. Martii 1842, quam nobis exhibet Cardinalis Bizzari in sua *Collectanea pag. 110.* 'Cum Episcopus N. N. videret, quod festis diebus Sacerdotes suæ jurisdictioni subditi in vicinam diœcesim transmearent ad Missam inibi celebrandam, ideoque in suæ diœcesis ecclesiis Missarum defectus haberetur, suo decreto sancivit: *ne ullus Sacerdos, præsertim diebus festis sese conferret ad celebrandam Missam in quacumque Ecclesia extra diœcesim posita sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ.* Re ad S. Congregationem delata, concinnatum est dubium *'An et quomodo sustineri debeat decretum editum ab Episcopo diœcesis N. N.?'* In Congregatione generali prædictæ diei rescriptum fuit: *'Quoad censuras, negative in omnibus, in reliquis ad mentem: mens est: exceptis Sacerdotibus, qui onus habent celebrandi intra fines diœcesis, quoad alios Presbyteros decretum Episcopi sustineri non posse.'* Quare dicendum est: 1. Episcopum decreto suo non posse prohibere, quominus Sacerdotes nulla alia obligatione beneficii aut capellaniæ devincti die festo a diœcesi recedant, et alio se conferant ad Missam celebrandam. 2. Episcopum posse quidem obligare Sacerdotes, qui Missam ex speciali titulo celebrare debent in diœcesi, ne diebus festis a diœcesi recedant Missam alibi celebrandi causa, attamen decreto suo non posse Episcopum contra istos censuram latæ sententiæ infligere, si recedant.

TITULUS V.

De Præbendis et Dignitatibus.

1. In genere vocabulum *præbenda* exprimit quamcumque perceptionem fructuum bonorum ecclesiasticorum, in specie vero significat beneficium ecclesiasticum, et in sensu rubricæ exhibet illam classem beneficiorum, quæ a dignitatibus distinguuntur; ea scilicet quibus nec præ eminentia honoris nec jurisdictio, nec administratio quædam seu custodia rerum ecclesiasticarum adnexa est.

2. Quoniam vero præbenda sumitur etiam ad exprimendum beneficium ecclesiasticum in genere, sub qua significatione tum præbenda, tum dignitas comprehenduntur; hinc primo loco agimus de beneficiis ecclesiasticis in genere.

Si vis vocis spectetur, Beneficii nomen originem civilem sortitum fuisse videtur. Nam ab historia edocemur, morem inolevisse temporibus imperii romani concedendi prædia quædam et possessiones militibus, qui in bello nobile aliquod factum et gloria dignum gesserant. Id ab ipso Alexandro Severo factum fuisse narrant. Hæc prædia et eorum concessionem appellabantur Beneficia, et qui prædia illa possidebant ex Principis largitione beneficiarii dicebantur.

3. Hunc morem imitata est Ecclesia et prædia vel possessiones concessit clericis deservientibus in sacra militia, eademque prædia vel possessiones propter servitium ecclesiasticum concessas appellavit beneficia. Si quis cupiat cognoscere historiam bonorum temporalium Ecclesiae, et quinam fuerit vetus status eorundem, et administratio, et distributio fructuum bonorum ipsorum, adeat *Berardi Jus Eccl. Univ.* in Dissert. præliminar. ad Tract. de Beneficiis.

4. Beneficium Ecclesiasticum definitur *'Jus perpetuum auctoritate ecclesiastica constitutum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis propter officium sacrum.'* Hæc definitio communior est; at non desunt, qui diversam ab ea definitionem exhibent, scilicet ut sit *'Officium sacrum ab auctoritate ecclesiastica constitutum, cui adnexum est jus percipiendi redditus de bonis ecclesiasticis.'* Utraque hæc definitio refert quidem duo essentialia beneficii elementa, jus nempe percipiendi fructus bonorum ecclesiasticorum, et officium sacrum; at prima definitio melius respondet